



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

Art. I. Timor naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

D. Augustini similitudinem ex sutoria arreptam officina pluribus explicat Honorius in Canticor. viii. & notat Sutori necessaria esse, corium, ferrum, setam, linum. Corio comparat animam; ferro, seu acui sutoriae Timorem servilem; setae suillae Timorem initialem; lino Timorem filialem. Sicut autem subula corium perforatur, sic Timore servili anima transfigitur, & reliqua immittuntur.



SERMO XII.

TIMORIS SPECIES

Praambulum.

CUM tam sint multi spiritualis vitae Magistri, qui Timorem, ut Fundamentum Aedificii spiritualis habent, alii vero eundem, ut Tectum praedicant, reor distinctione, utriusque partis patronos conciliari posse: Sic namque statuo. Esse Timorem quendam, qui neque Fundamentum, neque Tectum dici possit: aliquem qui Fundamenti, alium qui Tecti rationem habeat: nec deesse, qui utriusque rationem participet. Quod ut ab omnibus intelligatur instituenta est divisio in membra, sive species, aut genera, quae idem hic valent.

ARTICVLVS I.

TIMOR NATURALIS.



ISPESCO Timorem in quinque genera. Vt
I. sit Naturalis. II. Mundanus. III. Servilis.
IV. Filialis, vel Castus. V. Initialis. NATV-
RALIS

RALIS est adfectio quædam appetitus sensitivi, & significat nobis, imminentis mali fugam; estque insita à naturâ animalibus, ideoque non hominibus modò, sed etiam brutis. Hæc licet bona sit physicè, seu naturaliter, quia ad multa commoda ab Auctore naturæ est ingenerata animalium generi, ut docet *Orat. contra Iram* S. Basilii; tamen, cùm in nostrâ non sit potestate, non potest moraliter dici bona, vel mala: ac proinde de eo Timore non est nobis sermo. Siquidem ad nos ille Timor spectat, qui dicit relationem quandam certam ad DEUM. Quod nõ convenit naturali, qui secũdum se consideratus, nec convertit ad Deũ, nec avertit à Deo: moraliter indifferens. Quod si avertit à Deo, ut fit, quando quis propter malum, quod timet, Deum offendit, aut paratus est offendere vel derelinquere, vocatur *Timor Mundanus*. Si autem propter malum formidatum, ad DEUM convertitur timens, plura sortitur nomina. Si enim convertatur, quia timet malum pœnæ, dicitur *Timor servilis*. Si, quia timet malum culpæ, vocatur *Filialis*. Si quia utrumque simul, nuncupatur *Initialis*.

ARTICVLVS II.

TIMOR MUNDANVS.

IS ita nominatur, quia est hominum, mundum, & quæ in mundo sunt nimium amantium, ac proinde ea amittere præposterè metuentium. Si quis igitur ita reformidet aliquod hujus vitæ incommodum, vel pœnam, ut ad illud depellendum, vel evitandum, non dubitet offendere Deum mortaliter, agitur Timore Mundano. Quo abreptus fuit Petrus, quando Christum negavit.

Aa 4

Est